



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Pragæ concionatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

segerens: & quia, quæ de more solent adiacere  
Professi Societatis vota simplicia, non dum emi-  
ferat, ea Natali suscipiente concepit: vnde intelli-  
gitur adhuc nulla voti religione obstructum, sed  
libera pietate oblatis honoribus obstitisse. Nec  
longo interiecto tempore Pragam à Ferdinando  
Rege iubetur adire, vt ad Collegium inibi extru-  
endum vtilia præpararet. Cùm enim priore an-  
no Pragam abiisset Ferdinandus, tum admonitu  
Labacensis Episcopi, tum Viennensis Collegij  
inuitatus successu, decreuit in aliquo per Boë-  
miam desertorum Cœnobiorũ Societatem col-  
locare. Quod cum Canisio prompsisset, is nus-  
quam commodius ad publicos vsus, quam ipsa  
in Vrbe Praga statui posse demonstrauit, facileq;  
persuasit, commodum per id tempus, cum maxi-  
me Philippus Melanchthon, dira Germaniæ pe-  
stis, tentabat in eam urbem ingressum, meritissi-  
moq; reiectus est. Igitur quamuis tam malè erga  
se animatos Hæreticos Canisius probe nosset, ta-  
men peregrinationem in Boëmiam & magno a-  
nimo Deo fretus suscepit, & sospes eodem duce  
peregit. Exceptus est Pragæ à bonis omnibus gra-  
tulatione summa, & protinus in suggestum ascē-

*Pragam adit  
res ad Colle-  
gium para-  
turus.*

*Prage con-  
cionatur.*

dit:



dit: fauente ante omnes Archiduce Ferdinando  
 qui rebus præerat, eiusq; concionibus mirificè  
 nebatur. Dumq; sedulo occupatur in Domo De  
 quæ est Ecclesia sancta, cum verbo salutis, tum  
 religiosis exemplis ædificanda, multum negotij  
 molestiq; exhausit in concinnando Collegij di  
 micilio. Attributū erat in eam rem Cœnobium  
 sancti Clementis, opportunum situ, sed male ma  
 teriatum, ac vetustate, neglectuq; ruinofum: at  
 benignitati Principum in suppeditandis ad id fa  
 ciendum & scholas instruendas impensis Præ  
 ctorum, vt fere euenit, fastidia maligne respondi  
 bant. Bonam autem de Pragensium indole sper  
 concepit. Nam præ se ferebant ingenia ad pietatē  
 accommodata. Hussitas verò (quæ Pragæ  
 maxime secta grassatur) terror tantus incessit,  
 haud sine tumultu excepturi viderentur nouam  
 familiam. Increbuerat vulgo rumor, Iesuitarum  
 pene exercitum acciri ad disputandum cum Hus  
 sitis. Quam rem eo tum peius oderant, quod in  
 ter ipsos magna doctrina nemo extabat: itaq; ve  
 xandos se, ludibrioque habendos suspicabantur.  
 Quam opinionem nō apud eos solum lenire Can  
 nisius ac diluere conabatur, potius vêturos nun  
 tians,

*Pragensium  
 bona ad pie  
 ratem in  
 doles.*